



omne tempus, & quid, quando faceret, vel fieri fineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante, nec sidera necesseitas Christi connexit passionem: absit enim ut sidera mori cogerent siderum conditorem.

R. Bonum est confiteri Domino, allelúia: * Et psallere, allelúia.

V. In decachordo psalterio, cum canticis & cithara. Et psallere.

Gloria Patri. Et psallere.

Lectio iii.

Clarificatum à Patre Filium nonnulli accipiunt in hoc, quod ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Sed si passione clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione? Nam in passione magis ejus humilitas, quam claritas commendatur, Apostolo teste, qui dicit:

Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Deinde sequitur, & de ejus clarificatione jam dicit: Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit ei nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Hæc est clarificatio Domini nostri Jesu Christi, quæ ab ejus resurrectione sumpsit exordium.

Te Deum laudamus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona.

Pater, venit hora, clarifica Filium tuum claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te, allelúia.

Oratio.

Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis: ut cogitemus te inspirante, quæ recta sunt; & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum nostrum.



Pars Verna.

B

N

Museo Municipal
de Madrid

n.º 14311